UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118790

§. 55. Ambrosius Marchio Spinola Ostendam adveniens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67204

Visual Library

tabat: feliciori tamen poſtea ſucceſſu alia excogitabat machinamenta ingenioſus artifex, quæ tamen etiam non modo a continenti bombardarum impetu, quam inſuper a maris intemperie fuerunt dejecta. Igitur Albertus hinc tam diuturnæ ac infauſtæ obſidionis tædio depreſſus, illinc vero potiundi oppidi deſiderio erectus, alium, quem obſidioni præficeret, nominare ſtatuit, ac præ ceteris Ambroſium Marchionem Spinolam ſelegit. Sæc. XVII. A. C. 1603.

§. LV.

Ambroſius Marchio Spinola Oſtendam adveniens.

Igitur die octava Octobris Marchio Spinula Oſtendam venit, qui luſtratis obſidentium caſtris, ac explorato loci ſitu Pompejum Juſtinianum ſupremum caſtrorum Inſtructorem & Jacobum Franciſcium ambos belli peritia clariſſimos de obſidionis ſtatu interrogabat, qui expugnationis ſpem ſubeſſe dicebant, ſi ipſe Ambroſius obſidionis curam in ſe ſuſcipere vellet. Horum igitur rationibus tandem expugnatus Spinola Oſtendanæ oppugnationis imperium accepit, ac præprimis ad ingreſſum hoſtilibus navigiis prohibendum ingentem machinam in Bredenſi ſtatione exſtrui, *Gallut. & Thuan. l. c.*

tribus-

Sæc. XVII. A. C. 1603.

tribusque tormentis muniri juſſit, in Albertina arce interim militibus haud otioſe torpentibus, quamvis aliquot paſſus ad obſeſſam urbem accedere multo ſanguine ſtaret: Inſuper Targonus Marchionis ardore inflammatus aliis aliisque operibus architectandis inſudabat, quorum tamen præcipuum iteratis undarum impreſſionibus penitus everſum eſt. Pollicitus quoque erat idem Architectus, ſe pontem conſtructurum, eumque noctu in maris receſſu alteripæ tam celeriter admoturum, ut ante injectum cerneret hoſtis, quam injici poſſe ſuſpicaretur: attamen hic ipſe pons oneris ſui gravitate omnino inutilis erat. Eapropter Albertus Archidux potius bellica virtute, quam arte obſeſſorum pertinaciam eſſe ſuperandam ratus, quaſcunque ubique locorum copias contrahere poſſet ad Oſtendandam obſidionem deſtinabat.

§. LVI.

Conjuratio in Jacobum Angliæ Regem feliciter detecta.

Memoir. Secret. part. 3. pag. 208. Thuan. l. 129. Rapin. hiſt. l. 18.

Sub idem tempus Menſe Junio detecta eſt conjuratio, quam Puritani Proceres conflabant: hos inter Valterus Rallagus princeps erat, qui quondam Eliſabetha regnante Regii ſatelitii Præ-

fectus